



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

mia evocatus est. *Ex Appar. Gelen. Natalibus Domini Molani, & Valentino Leuchtio.*

IV.

Item festa LUX CÆLI PALATINI, *Sociorumque eius* numero septem & viginti, qui exquisitissimis tormentis excruciiati, in mare deiecti, stolis cælestibus mundati, immaculatum agnum sequuntur.

V.

ESSENDIÆ B. THEOPHANIÆ *Abbatissæ, Erenfridi Comitis Palatini, ex MECHTILDE Sorore OTTONIS Tertij Neptis, quæ magna omnino augustissimæ Cæli Reginae Cliens, quæque admirabilium virtutum splendore, ita sacrum cœtum suum personarum ac virtutum numero auxit, ut non immeritò eius loci, & cæli delicia habebatur. Ex Appar. Geleniano.*

VI.

PHILIPPVS *Comes de Hinsperg ex Præposito Cathedrali, Cleri, Populique votis unanimiter electus, 45. Episcopus COLONIENSIS; Princeps qualem multis seculis non vidit Germania, DEI, DEIPARÆ subditorumque cultu insignis*

ignis, omne ferè *patrimonium in exornandis Ecclesijs, muniendâ Colonia Agrippinâ, expendit; duos, Westphalia & Angaria latissimos nobilissimós-que Ducatus concessione Caesaris (Henrico Leone proscripto) sedi suæ comparavit. Munificentissimus idem fuit amplissimi Cœnobij Haisterbacensis Fundator. Tandem anno M. CCX. operibus meritisque plenus, fato defunctus est.*

VII.

GERISHEMIUM prope *Disseldorpium à WILBERTO Episcopo Coloniensi, anno M. CCC. LXX. ædificatum, & à GERICO Comite dotatum, festivo plausu honorat B. REGENBERGAM eius Ducis filiam, cuius celesti prudentiâ tantum sapientiæ hausit, ut una de numero prudentum, cœlestes CHRISTI nuptias, omni ævo continuandas intrârit: quæ seculum blandiens, & terrenas voluptates Ducis Parentis sanctâ institutione reliquit. Sub veste splendidâ cilicium occultare solita, artem, mundum piè fallendi, nos docens. utriusque & Parentis & Filie Cineres urnâ unâ conduntur. Ex Appar. Gelen.*